



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio Practica ...**

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà  
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Titulus I. De Missis coram Ven. Sacramento exposito legendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

P A R S IV.

DE MISSIS PARTICVLA-  
RIBVS.

**H**Actenus de Cæremoniis Missæ in genere actum; nunc, quoniam experientia ostendit multos potissimam ferè difficultatem in Missis quibusdam particularibus dicendis experiri, visum est, non inutile futurum, si & harum Cæremoniarum breve quoddam compendium ipsis offerretur, quod in præsentì parte præstabitur.

TITULUS I.

DE MISSIS CORAM VEN. SACRAMENTO  
EXPOSITO LEGENDIS.

I. **Q**uando accedit Celebrans ad Altare, statim ac Presbyterium vel Capellam ingreditur, ubi est Sacramentum expositum, detegit caput; & cum finito Sacro recedit, non priùs tegit, quàm ex iisdem egressus sit. NB.

II. Ubi ad medium Altaris pervenit, & finitâ Missâ recedit, flectere debet utroque genu, & caput devotè inclinare: deinceps tamen unico tantùm, ut expeditior sit ad Cæremonias. Ita Gavantus: quæ tamen, si ejus doctrina *p. 2. tit. 14. toto.* bene consideretur, de solemnibus Missis, non de privatis intelligenda erunt. Quod si ergo consuetudo habeat, ut etiam in accessu, & recessu, maximè in privatis Missis, unico tantùm genu flectat, eidem se accommodare poterit.

III. Accedens ad medium Altaris vel recedens semper genuflectit; convertens verò se ad Populum, dum dicit *Dominus vobiscum*, aut *Orate Fratres*, facta genuflexione post osculum Altaris, sistit se versùs Evangelij cornu, tum facta iterum genuflexione in medio, redit ad librum vel Altare.

IV. Cùm in planum descendit Missam inchoaturus, genuflectit iterum, (non tamen insuper, ut aliqui, profundam reverentiam facit) & Missam incipit.

V. Quando post Offertorium manus lavandæ sunt, Gavantus,

*Instruct. I.*

I

vantus,

vantus, Arnaudus, & Bauldrius monent, hanc lotionem extra gradum Altaris etiam in privata Missa faciendam esse; quia tamen omnes ferè in nostris partibus supra gradum lavant, poterit se eisdem Celebrans accommodare; attendat tamen, ne tergum in hac lotionem Venerabili obvertat; sed potius se nonnihil ad latus vertat, ut quasi Altare aspiciat.

VI. In benedictione Populi dicto *Omnipotens DEVS*, genuflectit, & in latere Evangelij benedicit, non perficiens circum, sed vel ad medium rediens iterum genuflectit (ut multi graves viri malunt) vel statim ad latus conversus (ut cum Gavanto plerique Rubricistæ monent) signat librum aut tabellam ultimi Evangelij, & nullo modo Altare.

VII. Quando datur Populo Benedictio cum Sacramento, format Crucem nihil dicens. *Rituale Romanum. NB.*

VIII. Quando exponitur Ven. Sacramentum pro Oratione 40. horarum, Missa solemnis dici debet de eodem, prout inter Missas votivas assignatur cum unica Oratione, *Gloria & Credo*, quia est publica causa; non tamen de eo dici debent Missæ privatæ, si est Festum Duplex aut de Præcepto. Si in Festo primæ Classis vel secundæ, vel Dominica Privilegiata fiat hæc comprecatio, Missa de Festo, vel de Dominica dicenda est cum Commemoratione SS. Sacramenti, si unica tantum dicatur Missa; si verò plures, & earum aliquæ de Festo vel Dominica dicantur, poterit Missa Solemnis de Venerabili sine Commemoratione Festi aut Dominicæ cantari. *Gavant. p. 2. tit. 14. n. 4.*

## TITULUS II.

### DE MISSIS VOTIVIS.

**M**issa Votiva propriè loquendo juxta Gavantum & alios Mea dicitur, quæ ex voto, id est, arbitrio Sacerdotis celebratur, & nullo modo ab Ecclesia aut Rubricis præscribitur. Unde, ut alibi jam monui, non bene aliqui dicunt, omnem illam Missam Votivam esse, quæ ab Officio discordat, cum Missa Rogationum Feriâ II. & Vigiliæ infra Octavam etiam discordet ab Officio, nec tamen Votiva propriè dici queat. Porro tria de his Votivis queri possunt. 1. Quando dici queant.